

latum quidem unguem deflexi. Spero etiam, quod vehementer cupio, primum tuum de mundi Ætherei phænomenis librum, quem iterum éditurum polliceris, hoc anno lecturum. Significavit mihi sæpè dictus studiosus abs te desiderari Vernerii librum de motu Octavæ Sphæræ, quem cum totâ Germaniâ conquiseris, nunquam tamen invenire potueris. Quare unum ego ipsi exemplar dedi, ut id ad te meo nomine transmitteret. Si quid erit aliud, quod tuâ causâ efficere possim, perhonorificum ducam, ut à te mihi imperetur, cui velim omnia feliciter evenire, atq; optimè esse consultum. Hoc anno publicè interpretaturus sum meas Cœlestium Orbium hypothesas: quæ mihi bona erit occasio, quæ in hoc genere à me édita sunt, longè uberius explicare (ut jam facere aggressus sum) & commentariis ac Geometricis demonstrationibus, supputationibusq; illustrare. Quæ tamen commentaria priusquam publici juris efficiantur; libenter ego lucubrationes tuas cognoscere, & intelligere velim, ut tuas quoque suppositiones iis inserere & explicare possim. Ac nè tibi prolixitate nimîa sim molestior, hîc faciam scribendi finem; te rogans iterum atq; iterum, ut meam in te observantiam benevolo excipias animo, boniq; consulas. Bononiæ Idib. Septemb. 1590.

Illustri dominationi tuæ

Addictissimus

Jo. Anton. Maginus Patavinus.

Altera ejusdem Doctissimi Magini Epistola, libro cuidam, quem Tabulam Tetragonam inscribit, mihi dedicato, præfixa. Eum tamen ante annos sex éditam, ab ipso Magino missum non accepi; sed postea obiter apud Bibliopolam inventum, quidam ex meis Astronomiæ studiosis attulit.

Nobilitate Perillustri, & Eruditione Præstantissimo viro

**TYCHONI BRAHE DANO DOMINO de KNUDSTRUP,
& Arcis Uraniburg in Insula Hellepontis Danici Huæna
fundatori.**

IO. ANTONIVS MAGINVS PATAVINVS MATHEMATICVS
S. P. D.

DU multumque plurimis ab hinc annis cogitavi (Nobilissime ac doctissime vir) ut viam invenirem expeditam, ac facilem, qua cujuscunque numeri quamvis magni quadrata radix colligi ex tempore posset. Opus sanè arduum, & perquam difficile, in quo quantum insudarim, nemo planè crederet, nisi qui ipse aliquando periculum fecit, & sæpè quidem à proposito rei difficultas me deterruit. Verum enim vero res tandem ita mihi feliciter successit, ut plus, quàm optarem, invenerim: nam quid in hoc genere calculi præstiterim, tu primum doctissime Brahe, deinde reliqui omnes Matheseos cultores, ad quorum manus hæc pervenerint, probè perspicient. Nolo autem hîc in laudandis meis inventis nimis audax studiosis videri, ne momus quispiam propriæ laudis parùm modestum præconem me esse cavilletur. Cæterum qualecunque hoc sit opus, tibi, gloriosissimi nominis viro, ac nostræ ætatis Astronomo eminentissimo, grati animi & observantiæ erga te singularis causâ dicere volui, idque maximis de causis. Primum enim tu ipse es, cui maximè debeo, quòd amicitia tuæ fores tam amanter ac humaniter mihi aperuisti, atque mihi plus honoris tribuisti, quàm eruditio (si qua est) tenuis mea, ac perexigua postulabat, cum mihi tuum secundum librum de recentioribus mundi Phænomenis per Danum quendam studiosum misisti, simulque per eundem, quid de illis sentirem, quæsiuisti; nec non etiam quòd meæ Epistolæ humanissimè respondisti, multa mecum de rebus Astronomicis differendo. Deinde tu unus es, cui hanc meam Tetragonam tabulam acceptam fore maximè confido, propterea quòd ipsa